

AN. I. - FASC. I.


IDIBUS MAIIS MCMXIV.

ALMA ROMA

PER. IT
ALM. ROM
1914-1916



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 200.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), Bracciano, CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Corneto Tarquinia, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fara Sabina, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, Mondovi (cum off. in opp. Carrù), Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, Palestina, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Siena, Subiaco, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit:

a) Iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 2%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 20.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 50.000; diecum quinque, lib. 100.000. — Pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est;

b) Computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo $2\frac{1}{2}$ %, si vinculum erit mensium sex; 3% si mensium duodecim;

c) Parsimoniae fovenda sub specie, anno fructu 3,25 %, cum facultate quotidie deferendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimititur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA:

Prescriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur;

Mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1887 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit;

In antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatea;

Litteras emitit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur;

Exteros nummos negotiatur eorumque collybum exercet.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Res in custodiam Mensae traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA fiduciarias res accipit: pecuniae nomina, capsas, cistas latae etiam mensurae, modicam sibi retributionem repetens ex declarato pretio. Recipit pariter pecuniam ad publicorum operum administrationem, nomina tum industriae tum commercii, libellos ad parsimoniam, etc. Deposita huiusmodi fasciculo non clauso exhibentur; acceptorum testimonium concrederint traditur, in quo singillatim ies describuntur. Ad ipsius concrederint libitum, pretium syngrapharum exigitur, nomina sorte ducta explorantur, etc.

Res capsarum in custodiam traditae.

NUMMARIA MENSA ROMANA peculiare officium constituit ad res pretiosas, pecuniam, nomina aliaque huiusmodi servanda in capsis conductib; ex chalybe, quae, in magno conclave collocatae, omnino pariter ex chalybe extructo, securitatem maximam tum contra incendia, tum contra violationem quamlibet offerunt. Huiusmodi capsae habentur parvae, mediae, maxime; habentur quoque et armaria; locationisque pretium est prout sequitur:

	Ad mens. 12	Ad mens. 6	Ad mens. 3	Ad mens. 1
Pro capsis parvis:	lib. 15	lib. 10	lib. 6	lib. 4
» mediis:	» 25	» 15	» 10	» 8
» magnis:	» 30	» 20	» 15	» 10
Pro armariis:	» 40	» 30	» 20	» 15

praeter custodiae ius pro singulis lib. 1000 (ad minimum lib. 1000), constitutum lib. 0,35 ad annum. — Depositor libere sua capsa frui potest ab hora decima ad decimam septimam cuiusque diei, festis exceptis.

Ann. I.

Romae, Idibus Maiis MCMXIV

Fasc. I.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. $4\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI drem., Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~ ~



Superbum optimo consilio propositum Ehe-
meritis latina lingua typis evendae magnopere
commendantes, electis scriptoribus et scrippis ad
eam evulgandam provendamque open et
subsidium quoque modo conferentibus, benevolo
gratique animi septem, apostolicum Benedictus,
num amantissime in domino iuxtesim.

Ex Reddy Vaticanis

die 24 Ianuarii 1914.

Lily D.P. X

Lectores humanissimi !

Vos ego paucis volo.

Nonnullis bonarum litterarum cultoribus, quibus cum voluntate par esse cuperem ingenium viresque, in animo fuit novum commentarium in vulgus edere, eumque, quod melius est atque nobis opportunius, antiqua Romanorum lingua omnino conscriptum. Namque latet neminem nostris potissimum diebus latinitatem, pestifero veluti sidere afflatam, pauperiem pati, demissoque capite, ob hominum praesertim ignaviam vel potius incuriam, incedere. Dolendum magis nobis videbatur apud hanc ipsam Urbem, gentium olim perpetuoque reginam, omniumque artium atque sapientiae magistram, in tot rerum diversarum multitudine atque ephemeredum colluvie, hospitem plane linguam esse, qua eius cives tot gentes domuerunt imperioque obtainere consueverunt; qua per universum orbem Christi Ecclesia etiam nunc utitur, incessabili vinculo religionis. Nonne igitur aequum atque decorum in id pro viribus adlaborare, ut et alii nobiscum latinam linguam percolant impensius, ac, si oporteat, ab adversiorum calumnia vindicent? Hinc evulgandi commentarii propositum; hinc etiam consilia quibus negotium perfici posset.

Atqui optima ad rem condicio nobis apparuit, Patronorum collegium constituere, qui apud omnes populos non solum auctoritate, sed etiam opera, tantum incoeptum adiuvarent; conlataque annua stipe, illud praecipue comparent, ut commentarii aliquot exemplaria certis personis, apud ephebea praesertim, gratuito destinando, huiuscemodi propagationi latinitatis vis conferretur. Praeter spem autem evenit, quod horum Patronorum primus Vir Ille Sanctissimus accederet, cuius munificentiam memori semper mente gratissimaque recolemus; qui plurimis verbis animum auxiliumque quum nobis addidisset, ut in eodem proposito fidenter permaneremus, litteras sua manu scriptas nobis tradidit, quas in superiore pagina humanissimi vos legistis, thesaurum sane pro nobis nullo pretio redimendum.

Supremi Patris favore et benedictione aucti, eo alacriore ingenio manus operi admovimus; quod periculosae plenum aleae non infitiamur. Siquidem non de una aut altera disciplina agendum erit, verum de re universa, ut latina haec lingua amplissima semper, dives, mobilis, praestans vel ad ea quae de hodierno vitae usu recentibusque inventis sunt, miraque appareat. Neve quis nos incuset veluti grandia nimis ac superba profiteamur: omnia enim breviter persequi studebimus, et, quo magis liceat, sermone pedestri; ita ut quisque lector non modo integras viginti uniuscuiusque fasciculi paginas, sed et ipsius tegumenti, — in quas singulare quid et novum inveximus, a fine quo intendimus non tamen alienum, — tuto atque inoffenso pede, quin imo non sine aliqua delectatione, percurrere possit.

En denique consociationis nostra pactiones:

PATRONUS erit qui summam saltem Italicarum libellarum centum quotannis pro *Alma Roma* commentario elargiendam sibi sumpserit; eique ius esto exemplaria aliquot gratuito attribuendi totidem personis a se designandis. SOCI fient qui unice pro ipso commentario annuae subnotationis pretium nobis solverint; scilicet in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2, 40; mark. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12).

Pecunia autem tum patrocinii, tum quoque simplicis subnotationis, multifariam licebit mittere; scilicet sive per nummarias cuiusvis civitatis tesseras commendatis litteris commissas, aut per publici cursus mandatum, sive etiam — quod facilius evadet iis qui penes argentariam mensam aliquam pecuniam suam currenti (prouti vulgo dicitur) computatione collocarunt, — per obligationis chirographum, quod nos ab ipso trapezita, quamquam longe dissito, vel in Urbe exigere studebimus.

Arrideat honesta spes plurimos adfore huiusmodi Patronos, Socios atque etiam Scriptores, quos undique ultro invitamus. Si vero pauci fuerint, nequo eo setius, donec vires suppeditent, animo deficiemus, illa praesertim verba repetentes:

Qui paucis placuit, optimis semper placuisse videtur.

Valete, diuque incolumes vivite.

JOSEPHUS FORNARI eques,
Litterarum Iurisque Doctor,
«Almae Romae» commentarii Moderator.
(Romae — Via del Governo Vecchio, 96).

“ ALMA ROMA ”

Roma parens, iugiter adloquutura filios ubique gentium, sua septicollis ex arce rursus effert vocem. Amor urget matrem; quem iamdiu per sacra maiorum ipsum eius effabatur nomen.

... inviolabile tandem illud quod secum mysteria sola canebant (1).

Amor, quem nulla temporum ruina vicit; quem novae religionis iussa fecer-

(1) G. PASCOLI. — *Hymnus in Romam.* (Bologna, Zanichelli, 1891).

runt aeternum; quem ea tantum absolvet auspicata dies, qua tum fideles filii, tum impii vel immemores, ad sancta, quae ipsa distingit, signa convernent. Tunc tandem Regis Pacifici, qui Apostoli sanguine, subacta urbe, imperio totius orbis est potitus, suprema vota itidem plena fient, quae moriturus precabatur Ille in coenaculo: «Rogo, Pater, ut unum sint » (2).

Atqui non suo cuiusque sermone adloquitur genitrix dissitos filios; sed materno communi, quo illa vitae incuna-

(2) IOANN., XV, 22.

bulu favit uniuscuiusque gentis, sive quas tenuit armis, aut legibus coegit, aut litteris erudivit; sive demum divinae caritatis religione constrinxit.

Quae quidem religio secures primum et gladios, imposito vexillis novo victoriae signo; leges deinde, inscripto augustis codicibus Christi nomine; litteras denique et bonas artes et omnem sapientiam atque doctrinam, et civilem omnem cultum et omnem humanitatem invasit, et, superatis sine numero praeliis, dominata est.

Quare non immerito italus vates illustris, licet sacrorum eius transfuga pessimus, recens cecinit, atque sponte est fassus: « Quidquid per orbem sanctum, iustum, humanum et civile est, Romanum est » (1). Nec aliud testantur porticus, theatra, curiae, regalesve aedes Romanis lineamentis ubique gentium erecta, insculpta signa pictaeque tabulae Romano more, tituli latino sermone inscripti, vel in ipsis memoriis hostium Romani nominis, quod vel Arminii signum in Germanis positum docet; templaque ipsa per orbem universum exstructa, ubi Romano ritu iugiter sacra fiunt, Romano sermone Deus adoratur.

Iustum itaque est, et sanctum, ut iugi eadem voce mater adloquatur filios, quave in dies magis patent fines humanitatis, eos pia comitetur iisque alacris antecedat. Antecedat nimirum, ne a recta unquam semita aberrent; comitetur, ne materni studii unquam obliviscantur, neve, si forte a mutuo amore aliquando discesserint, nimium odia durent; sed, communis naturae memores, animi componantur, unaque tandem et sacra suavique lege com-

pulsi, unam agnoscent omnes parentem, unum Patrem adorent, unum sint.

Haec vota plane divina, auspicia haec immortalia animum erigent nostrum, labore sustentabunt.

Ipsam enim urbis fortunam, effuso olim Petri sanguine, scimus despontam esse Deo, et fidem sanctam nomen induisse romanum. Quare iure tenemus sacra nos uti lingua quam latino sermone utimur, ipsumque divinum provehiri regnum, quam latinitatis huius iura tuemur, et causam procuramus. Quod idem videtur, licet alia omnino mente, italus vates alius merito cecinisse:

Aliquid sancti sub terra vivere certum est ipsius in Romae natali monte quadratae (2).

Quae vero ille putavit se fabulatum de Pallantis corpore in palatio monte sepulto, et de vivo eius vulnere, quo desuper

. . . . vigil imminet ignis,
et priscum flamma non cessat lambere
[vulnus] (3);

id contra verum esse scimus, et prodigi locum quotidie adoramus. Medio enim sub ipso tholo Vaticani templi immenso, Pallanteum reconditum est universae terrae: ibi Petri spolia iacent,

*quae sanguine nobis
hanc patriam peperere suo* (4);

ibi lampades ardent perpetuae, non mendax signum divini ignis, qui e sede illa fulget universo orbi,

atque agit excubias aeterno lumine Romae (5).

Hasee ad excubias vigilare et nostrum decus, et gloria nostra est.

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

(3) Ibid.

(4) VERG., *Aeneid.*, XI, 25.

(5) PASCOLI, Op. cit., in fine.

De nimio studio allegorice Verba detorquendi.

Sunt qui, ob ingenii nimiam subtilitatem et morosum quoddam acumen, omnia quaeque verba allegorice detorquentes eo longius procedant, ut abditos sensus, cogitata occulta et a communi opinione remotissima, philosophorum praecepta, sententias exquisitas sub ipsis verbis celari contendant, quum vero res ipsa simplex et nullo conditioris doctrinae involucro cooperta pateat. Verum, hoc genus interpretationis fastidio; nec mihi ulla est religio quominus id aperte dicam, si praeter modum producatur: quid enim oportet depravare verba, ut aliud significant, cavillari ea, per ambages et fluxus significacionis extendere, sententiam urgere et obruire gravioribus dictis, tenebras denique inducere ubi sensus animi et mentis cogitata purissima luce splendent? Quum haud raro inveniantur qui, vel summo ingenio praediti, nostris quoque temporibus libenter se dedunt huiusc interpretationis studio, quod fines quasi cogitatorum anteire sumit et contendit, nescio utrum verbis translati vim voci subiectam magis magisque perturbent an clarius explanent....

Pauca hic de Vergilio dicantur. Quam apte rerum abdita Vergilius percunctetur, vehementerque naturae poesim percipiat sensu, compertum habet quisque, ut procul dubio possit affirmari illum omnibus scriptoribus latinis antecellere, quod naturae eiusdem modulatum sermonem quam optime significaverit. Quod si conferre volumus Theocritum cum Vergilio, in hoc tantum discrepant ambo, quod ille, magna usus dicendi simplicitate, rusticorum mores proprius effingit sive animi candorem personis applicat ut in pastorum ore fluctuantia verba

carpere et quasi audire videamur; hic autem multa e vitae pastoriae veritate aut seponere aut verborum lenociniis honestare necesse habet. Namque vates Syracosius libertatem, innocentiam, simplicitatem pastorum commendatas voluit, nullo quidem exteriore ornatu vel fuco; Andaeus contra, qui politiore aevo inter homines urbanos et elegantiam cum fastu sectantes versabatur, conquitis studio flosculis locutionisque subtilitate eo consilio usus est, ut Caesarem et principes ceteros laudaret per quos in sedes suas rediisset. Quod quum assequi vellet, haud facile potuit vitare ne sub veris ac ruris, pascuorum et saltuum suavi descriptione saepe patriae fines et dulcia arva et defensores et fortunam suam adumbraret, quamquam vero minus haec contaminatio patet lectori, cuius sensus illa rerum et morum descriptio vehementer allicit commovetque. Neque hic aliquid obiciendum est, quum iam sciamus Vergilium non proprie ad poesim βοηκολικήν accessisse, ut totam pastoriae vitae simplicitatem et candorem ostenderet; sed potius id generis tractasse, ut haberet quo posset omnia vel multum inter se discrepantia exteriore quodam vinculo coniungere et cantu celebrare. Eequem enim latet bucolici carminis formam cum vetere satyra conlatam fuisse? Sed minime cum iis possumus consentire qui, Benoitii iudicio astipulantes, omnibus nervis ac viribus sustineant omnino picturis vergilianis et imaginibus futurum fuisse ut et res et honor deessent, nisi poeta effinxisset expressissetque eas per allegoriam!...

Nihil enim, ut supra diximus, nec a rei ratione magis alienum, nec odiosius, quam singulas sententias ad allegoriae necessitatem revocare velle, in quo vix memorandum puto quam vanam et inanem operam a Servio inde viri docti

(1) G. CARDUCCI. — *Odi Barbare.* — *Nel Natale di Roma.*

(2) PASC., Op. cit.

posuerint. Quid Aegle significat, ut unum afferam exemplum, Naiadum pulcherrima, quae addit se sociam et timidis pueris Chromi ac Mnasyllo supervenit iamque videnti (Sileno)

Sanguineis frontem moris et tempora pingit?

Mirum quod eius sub nomine Vergilius voluptatem celaverit, qua frui possint qui Epicureorum praeceptis immorentur! Quum autem Servii illa verba legam: « Refutandae enim sunt allegoriae in bucolico carmine, nisi quem ex aliqua agrorum perditorum necessitate descendunt», nescio cur plerumque is cum sua ipsius sententia non cohaereat, et quasi specimen interpretationis contortae, ne dicam absurdiae, ostentet.

Nemo est quin rideat legens, vocabulo « fagus » e graeco φαγεῖν (= edere) deducto, poetam designare velle familiares res, quibus se sustentaret, Augusti fide ac benignitate sibi restitutas. Nonne sunt haec ingenii deliramenta ac velut aegri somnia, quibus plane haeres quorsum res evadat? Quod si Quintilianus nos admonet, sub Tityri persona suam fortunam poetam adumbrasse, bene se res habere potest, modo ne allegoria ad omnes quosque versus et singula verba circumferatur...

Quod autem attinet ad temporum significationem, quibus floruerit Vergilius, inter rusticos mores descriptos, paucis expediam affirmans, huius generis bucolicorum carminum rationem et naturam melius intellegi posse, si meminerimus rem e praesenti vita sumptam, maioris suavitatis causa, pastoriciae fabulae iucunditate et ornamentis ex ea vita petitis, ab auctore commentata esse.

M. GALDI.

O miseri, quorum gaudia crimen habent!

CORNELIUS GALLUS, Eleg.

De Latinae Linguae Pronuntiatione Adnotatiunculae⁽¹⁾

Servanda cuique litterae ubique vis sua.

Lingua latina alienis non utitur litteris, sed suas habet proprias ad exprimendos sonos suos institutas. Notatis enim paucis vocabulis, quae scribuntur aliter quam enuntiantur, ita docet Quintilianus in libro primo *De Institutione Oratoria*: « Ego, nisi quod consuetudo obtinuerit, sic scribendum quidque iudico, quomodo sonat. Hic enim usus est litterarum, ut custodiant voces, et velut depositum reddant legentibus. Itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus ».

Ob eam causam, si incorrupte loqui volumus, vim litterae cuique suam oportet ut tribuamus. Illi autem soni, a maioribus traditi, veterum testimoniis definiti ac emendati, tum transcriptionibus graecis et hebraeis comprobati, etiam linguarum recentiorum adoptione servati, minime sunt dubii. Exempla ut supponam, ait Quintilianus: « Nam *K* quidem in nullis verbis utendum puto... quum sit *C* littera, quae ad omnes vocales vim suam perferat ». *C* ergo littera, Quintiliano teste, idem ubique valet atque *K*. Et semper a Graecis per kappa transcripta est. Petrus autem Apostolus, lingua patria *Kephah* dictus, *Cephas* per *C* Vulgata Evangelii editione describitur. At nomen *Caesar* quo-

(1) Dum plerisque in civitatibus, apud Catholicos Sacerdotes praesertim, in unam eamdemque latinae linguae pronuntiationem incumbitur, non abs re erit huiusmodi quæstionem in commentario nostro late agitare. Ad certamen igitur eos omnes qui maluerint vocamus, grates simul amico dulcissimo Iacobo Tassetio referentes, quod acutis animadversionibus suis iamque a primo Almae Romae fasciculo campum occupavit.

modo sit enuntiandum, Germanorum *Kaiser* et Turcarum urbs *Kaisarieh*, quae est *Caesarea*, hodiernis etiam auribus proferunt. Cur ergo perperam: *Tshephas* aut *Sephaz*, et *Thesar* aut *Sesar*, infuso sermoni barbarismo dicemus?

Ph autem sonus, quia non est latinus, et fingi labio catholico commode non potest, in *f* merito iam inde antiquitus est conversus.

Et *G* littera sonare aspere sicut gamma, gimel, atque Germanorum *g*, simili ratione demonstratur. Ait enim Augustinus in capite XXIV libri secundi *De Doctrina Christiana*: « Et quum dico: *lege*, in his duabus syllabis, aliud Graecus aliud Latinus intelligit ». Utrumque verbum cum gamma sonat asperum. Ergo dicendum non est: *ledje* aut *leje*.

Consonantia adultera fugienda.

At qui sic pronuntiant, propter hoc barbaros in sermonem intrudunt sonos, quod vocum solent facere adulteria. Littera enim cum altera consonans vocali quam sua, spuriam parit syllabam. Nam hae videlicet: *a-mi-cus*, *fi-de-lis*, *vi-vi-fi-cat*, loquentis animi voces non sunt, nec sensum ullum faciunt; *amic-us* contra, *fid-el-is*, *viv-i-fic-at*, soni vel singuli praegnantis cogitatione mentis personant gestus.

« Est enim — dixit Quintilianus — in dividendis verbis observatio, medium litteram consonantem priori an sequenti adiungas. *Aruspex* enim, quia pars eius posterior a spectando est, s litteram tertiae dabit; *abstemius*, quia ex abstinentia temeti composita vox est, primae relinquet ».

Ergo sicut constructa, sic dividenda sunt verba. Eam regulam qui tenebit, non *le-ge*, sed *leg-e* dicet, non *gra-tias*,

sed *grat-i-as*; et quia gentes vocali praefixam modo, non suffixam solent consonantem vitiare, recte pronuntiabit.

Scrib. Tornoduri in Gallia.

IACOBUS TASSET.

LUX BENIGNA

(HYMNI AB EM. CARD. NEWMAN OLIM ANGLICE SCRIPTI PARAPHRASIN LATINE REDDIDIT D. MACRAE).

*Per tenébras circumfusas
Semper me clementer ducas:
Quanquam nox sit perobscura,
Quanquam via sit perdura,
Credo Tuo Lumini.*

*Olim neque sic precabar,
Neque Te sequi conabar,
Gaudia mundi gloriosa
Consiliaque periculosa
Tuis anteposui.*

*Me Superbia trahebat
Nec Pavor me retinebat:
Sed in annis maximarum
Multis iam actis culparum
Clemens obliviscere.*

*Et memor benicitatis
Expertaeque caritatis,
Credo tandem me victurum
Res adversas in futurum
Donec Nox aufugerit.*

*Orta luce, tunc gaudebo
Quod caros meos video
Fronte tranquilla et serena
Patria nunc in amoena,
Qua non « Vale » dicitur.*

OECONOMICAE ET SOCIALES QUAESTIONES

De conflictibus operarios inter et heros.

Conflictus illi, hodieum frequentissimi, qui opera manualia committentes inter et eadem exequentes oriuntur, unde ex condicto labores suos hi deserunt, rerum illam turbationem provocantes, quae vulgo *sciopero, grève*, vocatur (1), singulis aetatisbus et saeculis alia aliave forma saevierunt. Mons Aventinus Romae id sua historia clamat.

Media aetate tamen infrequentiores fuere, quod operarii sociates constituerent easdemque florentissimas, etsi et ipsae postmodum nonnihil tyranidis invexerint.

De conflictibus illis proinde vix agunt theologi ac philosophi, qui medio illo aevo floruerunt: nec secus Aquinas. Is tamen omnia statuit principia, unde quaestio de iisdem et proponi et solvi egregie queat.

Qui una cum omnibus theologis ac philosophis Christianis supponit illud *Geneseos* divinum praeceptum, naturae

(1) Latini ne *desidias* dixerint? (I. F.).

(2) *Gen.*, II, 15.

(3) *Gen.*, I, 27, 28.

(4) 22^{ae} q. 32, a. 6. Quod peregregie alias explanat: « Circa rem exteriorem duo competit homini, quorum unum est potestas procurandi et dispensandi: et quantum ad hoc licitum est quod homo propria possideat. Et est etiam necessarium ad humana vitam propter tria. Primo quidem quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commune omnium vel multorum: quia unusquisque laborem fugiens, relinquit alteri id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministeriorum. Alio modo quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immineat propria cura alicuius rei procurandae. Es-

humanae prorsus conforme: « Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis ut custodiret et operaretur illum » (2), ita ut Deus hominem ruralem atque agricolam creaverit, immo et operarium, Nec tamen satis, si quidem

« Et creavit Deus hominem ad imaginem suam;

Ad imaginem Dei creavit illum, Masculum et feminam creavit eos.

« Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicie eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram » (3).

Ex quo primum est inferre hanc esse Dei naturaeque ab ipso conditae legem, ut quisque, qui debite terram operatus sit, hinc panem suum iure merito sit accepturus: siquidem, ait Angelicus, « nullus inconvenienter vivere debet » (4). Quo in verbulo immensa prorsusque certissima continetur doctrina: omnibus nempe hominibus id juris competere, ut in hoc mundo convenienter vivant, nisi

set autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. Tertio quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. Unde videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius iurgia oriuntur.

« Aliud vero quod competit homini circa res exteriore, est usus ipsarum. Et quantum ad hoc non debet homo habere res exteriore ut proprias, sed ut communes: ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit (I Tim., ult.): Divitibus huius saeculi praecipe facile tribuere, communicare ». (2, 2^{ae} q. 52, a. 2). Quae gravissima verba maxime pensanda sunt omnibus qui rem sociologicam sive historice, sive dogmaticae agunt.

ipsi sua protervia aut socordia inconvenientiam inducant.

Illi autem qui terram operari atque subiicere debent in duplum distinguuntur classem: alii quippe suis consiliis, suis intentis, oblatisque mediis opera perficienda exequentibus committunt, de mercede congrua paciscentes; alii opera ipsa propriis manibus exequuntur, indeque mercedem suam lucrantur, atque a committentibus accipiunt.

Illi vocantur heri seu domini; isti autem operarii simpliciter.

Patet vero utrosque non singulatim modo opus vel committere vel accipere posse, sed etiam coniunctim una cum sociis. Etenim « privata societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum coniungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt ut simul negotientur » (1). Cuius haec ratio quia homo animal sociale propria natura est: unde « melius est duos esse simul quam unum: habet enim emolumen societatis sua. Si unus ceciderit ab altero fulcietur. Vae soli! quia quem ceciderit non habet sublevantem se » (2); dum, contra, « frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma » (3).

Ea providentiae intentio est, ut utriusque, sive committentes opus, sive exsequentes; sive singulatim, sive coniunctim cum sociis, suam mercedem accipiunt, siquidem « merces est terminus operis » (4), tum commissi et procurati ab heris, tum ad effectum perducti ab operariis: ita ut, sicut aliquando in societate christiana eademque perfecta, qualis ab initio floruit, id mirabile

(1) S. TH. *Cont. impug. Dei cultum*, cap. II.

(2) *Eccle.* IV, 10.

(3) *Prov.* XVIII, 19.

(4) 12^{ae} q. 114, a. 5.

eveneरit quod « neque... quisquam egens erat inter illos » (5).

Patet vero utrosque illos, heros videlicet et operarios, liberos per se esse qui opus pro mercede vel offerant ac proponant, vel exsequantur et perficiant, ubi ex alia vel alia parte iniuae conditions occurrent, vel etiam quia simpliciter suis ducti rationibus renuere ad libitum statuerint. Etsi omnes namque ad laborem teneantur, non ad hunc tamen laborem vel illum per se tenentur. Quod omnes concedunt de heris committentibus: id rursus concedere debent de operariis labore exsequentibus.

Exinde tamen oriuntur non raro conflictus, dum mox heri nimium laborem ab operariis requirunt, insufficientemque erogant mercedem; mox operarii insufficientem laborem sustinere intendunt, nimiumve exigunt pretium.

Habetur hic nempe quaestio diuidanda ex principiis iustitiae eiusdemque commutativa, cuius compendium est: *Do ut des.* « Id enim merces dicitur, ait Thomas, quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium eius. Unde sicut reddere iustum pretium pro re accepta ab aliquo est actus iustitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus iustitiae » (6). Licet enim opus laborantis, quatenus a libertate humana procedens, indeque rationem meriti atque praemii induens, longe simplici mercimonio nobilius sit, attamen mercis rationem retinet in ordine ad pretium, regiturque actibus iustitiae commutativa, quae habetur inter ipsos socie-

(5) *Act.* IV, 34.

(6) 12^{ae} q. 114, a. 1. Pretium istud Tullius et Livius vocant « mercedem operae » vel « mercedem manuum ».

tatis seu communis subditos. In deque sicut in bonum commune fiunt emptiones et venditiones rerum, ita opus et merces offeruntur unum pro altero in omnium bonum. Quia vero quod est ad commune bonum non debet magis in unius esse quam in alterius gravamen, hinc et opus et merces secundum aequalitatem rei, quod est iustitiae commutativae proprietas, aestimari, atque aliquid contractus iustitiae obiectum evadere dominum inter et operarium (1).

Ubi vero sive operis, sive mercedis conditiones extra iustitiae limites propositae fuerint, patet utrinque per se contractum respui posse: unde vel domini seu heri opus offerre detrectabunt, vel operarii opus oblatum perficere.

Uterque igitur ius suum accipiendo aut renuendi prorsus integrum retinet, quia iustitia commutativa libertatem huiusmodi omnino supponit.

Neque tamen inde colligas, quemque pro libitu simultates atque conflictus provocare in societate posse: siquidem in omnium consensione et pace consistit bonum commune, quod in periculum a nullo vocari potest neque pessimum gratuitem. «Sicut enim, ait Thomas, pars et totum quodammodo sunt idem, ita id quod est totius quodammodo est partis» (2).

Quod intelligendum est imprimis de contractibus utrinque promissis, qui pacis et fraternae consensionis quasi instrumentum evident, ubi committentes opus eam operariis compensationem pro labore concedent, ex qua ipsi victum, vestitum aliaque necessaria sibi procurare poterunt; ubi mercedem sufficientem pro merito solvent;

secus enim: «Ecce merces operariorum... quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit» (3); ubi e converso operarii et labore sufficientem exequuntur, ubi remunerationem congruam, non autem exorbitantem, requirent.

Quis autem de huiusmodi aequitate iudicium ferre poterit, salva semper illa iustitia, quae est ex fine proximo, ex necessitate nempe victus et vestitus sufficientis, nisi quaedam aestimatio publica, quae aliarum rerum venalium pretium determinat, attentis non modo rebus in se, sed etiam adiunctis et circumstantiis? Cui aestimationi plerumque standum erit.

Civitatis vero, seu potestatis publicae rectorum officium erit ut enascentes conflictus pro viribus componant; ut omnibus item patefaciant quanta damna ex hisce conflictibus oriantur; ut tumultus violentiasque compescant, omniaque tentent ad huiusmodi conflictus vel impediendos, vel terminandos.

Quod longe facilius erit, si cives, nempe et domini et operarii, mente christiana donentur, ut patet.

I. I. BERTHIER, O. P.

Ingenuarum artium specimina

RAPHAËLIS SANCTII PICTURA MURALIS
ATTILAM REGEM EFFINGENS
A SUMMO PONTIFICE REPULSUM.

Celebrem hanc muralem picturam effingebat Sanctius in aedibus Vaticaniis aurea illa aetate, qua pristinæ splendorem artis late per Italos reviviscere incredibili fortuna contigit. Namque Leo ille X e Medicea gente, quo patrono munificentissimo Raphaël utebatur, no-

(1) Cfr. 22^{ae} q. 57, a. 1.

(2) 22^{ae} q. 61, a. 1, 2^m.

(3) Iac., v. 4.

men sancti illius antecessoris assumpsit, cognomento *Magni*, qui, medio V saeculo, et auctoritate sacerdotii et virtute divina adeo valuit, ut barbarum victorem Romam invasurum sua via delleret. Urbs enim sancta est, quae ab Apostolis defensa conspicitur. Obequitat in sinistro latere Pontifex (quem Leonis Medicei vultu pictor repraesentavit), eumque circumstant Patres Purpu-

bis legatos miserat, qui a suscepto itinere Attilam hostem averterent.

Equivid. vero?

*Pictoribus atque poetis
quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

Nobis itaque ingenii excellentiam satis sit admirari, unde tam magna, varia, tamque perfecta scena enata est. Hinc enim milites turbatis ordinibus videmus, equis sese arrectos tollentibus, neque



rati; ferus autem rex, ferrea stipatus ala, deterrent caelestes enses, quas Urbis tutores Beati distringunt ita metuendi, ut tot victorem gentium iamiam ex equo deliciant.

Non tamen Romano in agro tantum facinus factum esse docet historia; sed Mantuam prope, ad Mineii fluminis ripas, quo nimirum Valentinianus Caesar Leonem I Pontificem, Avienumque consulem, Trigetiumque praefectum Ur-

causam insolitae rei cognoscentes, quum ipsi Apostolorum praesentiam minime sentiant; inde animi securitas in Pontifice, qui benedicens cum sua cohorte procedit. Securitas haec est eorum, qui virtute sua fidunt, quum sibi probet perspectum, una secum Deum esse, quem contra barbaris omnibus, omni aetate, semper erit magna cum clade recedendum.

X.

ARCHAEOLOGICAE RES

QUA RATIONE PER CHRISTIANA MONUMENTA
CHRISTI RESURRECTIO EXHIBEATUR

Lubenti animo, etsi non satis firma valetudine, aliquid in medium profero de christianis antiquitatibus, quae maxime deceant hunc veluti resurgentem Almae Romae commentarium, simulque tempori convenient, quo de ea re amicis verbis a moderatore ipsius commentarii sum rogatus. Imminebant festa paschalia quum epistolam accepi, qua significabatur proxima iam iam commentarii publicatio, themaque proponebatur, quod fortasse lectoribus magis arrisisset, sed scribentis conditioni molestius accidebat. Illo igitur omissio, selegi ex omnibus argumentis ipsam Christi resurrectionem, de qua sic agam, ut breviter persequar qua ratione nobis per monumenta sive sculpta sive picta exhibeatur.

Iamvero ratio qua antiqui artifices dominicam resurrectionem repraesentarunt duplex fuit: altera propria seu historica; altera metaphorica, seu symbolica. Illa autem prima propria et historica ratio fuit prorsus diversa ab ea qua recentiores utuntur. Hi namque effingunt Christum sepulcro exeuntem multa cum gloria et luce coruscantem; antiqui contra ponunt vacuum sepulcrum, milites custodes humi disiectos, angelum e limine sepulcri alloquentem mulieres, quae venerunt ut ungerent corpus Domini. Nec potest in dubium revocari sensus huius interpretationis; nam praeter verba *ANECOH O KYPIOC*, quae scripta leguntur super sepulcro in phialis Modoëtianis (*di Monza*) (1), haec scena occurrit aliquando (2) statim post

crucifixionem; adeo ut certum sit, sepulcrum nunquam exhibut fuisse ut cellam mortui, sed locum resurrectionis. Ponitur, exempli gratia, angelus, qui ostendit mulieribus sindonem humi iacentem extra sepulcrum, vel effingitur Redemptor ipse, qui prope sepulcrum appetat mulieribus. In his omnibus monumentis sepulcrum est apertum.

Addere possumus repraesentari ac probari per monumenta, indirecte quidem, sed *proprie* resurrectionem in illis scenis, in quibus Thomas apostolus digitum admoveat lateri Christi reredivi; idemque dicendum de aliis quibuslibet apparitionibus.

Sufficient pauca haec de proprie sive historice Christi resurrectione monumentis consignata: symbolice vero (quae est altera resurrectionem repraesentandi ratio) nobis exhibetur per figuram praesertim Ionaee Prophetae, cuius imagines sive pictae sive sculptae frequentissime occurrunt sive in parietibus catacumbarum, sive in sarcophagis, sive in vitreis vasis, sive in diptychis, ex ebore fabrefactis, atque in omnis generis supellectili etiam non sacra: de qua re qui plura ament addiscere, legant quae habet Gorius ad vocem « *Resurrectio* » in I^o ac III^o volumine, quaeque ad vocem « *diptychon* » in III^o volumine; in quo volumine refert latine redditam dissertationem clarissimi Buonarroti (3). Profecto nemo non videt quanti intersit haec tam multiplex ac iugis solemnisque testificatio dominicae resurrectionis: ipsa enim resurrectio Christi primum est ac maximum fundamentum christiana fidei, ut cum Ambrosio loquar (MIGNE P. Lat., XIV, 670), cumque apostolo Paulo asseverem: *Si Christus non re-*

surrexit, vana est fides vestra (I. Cor., XV, 17).

Sed ne longius abeam, redeamus ad symbolicam resurrectionis repraesentationem. Minutulum quidem, sed elegantissimum omnium monumentum, fragmentum est vitrei vasis, in quo lineolis aureis depictus appetat piscis iacens humi sub quadam veluti pergula, ex qua pendent septem cucurbitae (1). Istiusmodi pergula cum cucurbitis notissima est omnibus, qui vel prima rudimenta christianarum antiquitatum noverint; notumque pariter est sub ea pergula iacentem hominem esse Ionam prophetam. Quid ergo nunc sibi vult piscis ille subtali pergula iacens? In promptu est explicatio: Ionaee prophetae substitutus est piscis. Atqui piscis (*IXΘΥC*) est symbolum Christi, pariterque Christi resurgentis symbolum est Ionas; ergo duplice sub symbolo, vel potius per symbolum symboli, nobis in hoc vitro resurrectionis Christi repraesentata exhibetur.

Pronus hinc pateret excursus ad multa de Christi resurrectione symbola recensenda atque illustranda; sed pauca haec in praesens sufficient; iuvetque iterum Ambrosiana verba repetere: « *Primum et maximum fidei fundamentum, in resurrectionem Christi credere* »; cum eodemque sancto doctore concludere: « *Quicumque crediderit resuscitatum (Christum) festinus requirit, devotus accedit, et intima Deum mente veneratur. Credit enim quod ipse non moriatur, si credit in resurrectionis auctorem* ».

JOSEPHUS BONAVENIA S. I.

(1) GARRUCCI, Tab. 174, n. 114.

Quoniam non potes quod vis, id velis quod potes.

TERENT., Andria.

COMMUNIA VITÆ⁽¹⁾

Ars tutandae salutis in cubiculis.

Amor domus, desideriumque in meliorrem formam atque elegantiorum aptandi domicilii, ubi magnam vitae partem transigere consuevimus, in dies apud nos fortuna progreditur. Quod enim per paucis, et equidem beatioribus, unice contingere olim videbatur, nunc, ita arbitris procedentibus, atque acriori unius cuiusque de se iudicio magis prolato, ad humiliores quoque cives pervenit. Attamen, dum in exteriorem cultum accuratius incumbis, ut oculis plus aequo inservias, saepe saepius quae ad valeditudinem pertinent omnino negligis.

Ubi enim per noctem perpetem quiete debes, salubritas prius quam pulcritudo est quaerenda, atque hoc consilium vel ipsi divites persequi tenentur. Animose itaque oportet ut sericis pannis amplioribusque conopeis, aulaeis ad parietes adfixis, umbellisque onerosis ipsi valedicant, quae, praeterquam quod aërem tollunt et lucem, in magnis potissimum urbibus putria pulveris receptacula fiunt, quae, adveniente forte pestifera lue, mundari minime possunt.

Bonum sane tibi cubiculum eligendum est et omnium conclave spatiostissimum, ad solem expositum atque apricum; neve sit nimio supellectili exornatum neve studioso artificio confectum, neu denique sculpturis more elegantiore decoratum.

Linea simplex esto, recta, ut mos est nunc apud Anglos, absque striaturis,

(1) Inter causas, a ratione aversas, quibus latinam linguam, tamquam hominum commercio inutiliem, inter cenaculi refectiones velint plures demandare, haec etiam recentetur, quod impar evadat tot communis vitae negotiis exprimendis, enucleandis. Qui

(1) GARRUCCI, Tab. 434.

(2) GARRUCCI, Tab. 433; 315; 350, n. 4; 316, n. 2.

(3) Cfr. BUONARROTI, *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*, pag. 257 sqq.; et pag. 232-235.

in quibus sordes potissimum perpetuo vigent, quae vulgo feruntur acerrimum salutis incommodum eiusque insidiator. Nec velim putares me ita pellere ex aedibus interioribus, unde primum nos oculis diem salutamus resque universas, omnem prorsus gratiarum sensum ac prope dicam poëseos. Simplicitas enim optime percepta fons est in primis pulcritudinis; velaria candida vel satis nitida, textilis pellucidus, parietes affabre pictae tenui colore, supellex singillatim modica, sed concinna atque elegans in universum nedium mentem cultiorem offendunt, quin imo certissima valetudinis commoda portendunt, oculis gratam adferunt quietem, plurima saepe rerum congerie oppressis.

Pavimentum autem omnium saluberrimum ligneum semper adprobatur; cui superimponere fas est duo parvula taenia ad lectuli pedes; ne sint tamen densiora, caveto. Est autem expungendus perniciosus luminis nocturni usus, tum quod vitalis aurae partem insumit ad respirandum necessariam, tum quod saepe aërem fumificat, semperque impedit quominus nervi quiescere possint.

Cura maxima in primis est lectulo adhibenda; a quo ars tutandae valetudinis recentioribus unice probata, reifict omnino instrumentum illud perquam

haec dicunt, copiosissimam latinitatis messem prorsus ignorant; scilicet ultra paucos illos auctores qui in scholis leguntur — (et quidem quibus cancellis circumscriptis!) — cognitionem suam nunquam protulerunt. Sunt, contra, scriptores innumeri, dramatici praesertim; sunt lapides, monumenta, quae communem Latinorum sermonem revelantia, vetus illud adagium perpetuo revocant: « Nihil sub sole novi ». De nuperis autem inventis numne Horatii obliti sumus?

Si forte necesse est

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum;

amplissimum, in modum spirae confectum, quodque novo vocabulo *elastici* adpellamus, in lignea saepe capsula contentum magnoque subtegmine subsatum, idque ad nostram usque aetatem omnium commodissimum aestimabatur.

Hoc enim non modo difficilime ex-politur, sed, quod maximum esset in-commodum, prohibet ne aer liberrime circumeat sub dormientis corpus, quae quidem lectuli respiratio, ut ita dicam, undique esset curanda.

Optima vero res est retinaculum illud aere confectum, dupli macula compo-situm, quod pro viatoribus iam est in novissimis navibus assumptum, nec non in nosocomiis, quae cunctis quibusque inventis recentibus exornantur. Sit quoque molle satis atque in omni superficie aequale, et fas est unam modo culcitam adhibere. Haec vero potiusquam lanea, quae certo quoque tempore perdifficile politur, curasque innumerar atque impensas postulat, sit quae crinibus animantium calamistratis componitur et parvo omnino pretio conquiri potest.

E. Rocchinius, qui nostrae aetatis doctissimus medicus habitus est, quique in huius rei studio diligenti cura est versatus, algam potius quamdam probavit, *zosteram marinam* vulgo adpellatam, quae quem mollis sit et nullum

*Fingere cinetutis non exaudita Cethegis,
Continget dabitus turque licentia sumpta pudenter...*

Ad haec adamussim intendimus caput hoc de communibus vitae in commentarium nostrum introducentes, hodie sapienti agilitate sua a clarissimo magistro nostro Ioanne Baptista Francesia hygienica nota tractatum; quin imo mens nobis est methodicum, ut vulgo audit, opus confidere, quasi domesticum artium professionumque vocabularium; idque etiam in *Almae Romae* paginis edere, si lectorum sociorumque favor, quem exspectamus, animum nobis addiderit. — I. F.

fere colorem explicet, vili quoque pretio comparatur et frequenter ac facile com-mutari potest. Etenim viginti vel tri-ginta argenteis comparabis eius quantitatem ingentem, quae *quintalis* more nostro dicitur.

Culcitarum autem parva subsuta at-que pulvinaria candida usque sunt; alba quoque bona mobilia e limo confecta... In aedibus, ubi multi versantur pueri ac propterea frequentiores sunt infirmitates, optimum erit si ferrum adhi-beas maltha obductum, eo quod facilius mundatur.

SUBALPINUS.

ANNALES

Civilium rerum recensionem scribere hac die aggredior, quando **laboris festum** illud, a socialistis aliquot abhinc annos invectum, per orbem late celebratur. Non tamen, ut heu! olim, cum sanguinis effusione; at plerumque, cessatis operibus, inter otia pratorum mollia. Sit ita quidem; quamquam nonne oeconomicis omnium negotiis opportunius fiat, si, quem ad modum apud Anglos et Germanos passim iam usuvenit, festum istud ad insequentem dominicam diem transferatur?

**

In Albaniae novo principatu varia memorata digna his diebus evenerunt. Ingrati certe nuncii fuere, Vallonae in finibus coniurationem patefactam esse a factiosis hominibus, quibus notabiliiores nonnulli cives accesserunt, initam contra rerum statum, unde aulicus fastus ab illa civitate exclusus omnino est; contra, magna cum omnium animalium refectione contigit, per extero-

rum Europae guberniorum interventum, Graeciam milites tandem suos ab Al-bania australi revocasse; quod spem fo-vet de pacifico aevo illuc ineundo. Interim administratorum collegium ex parte renovatum est, eiusque principem Turk-han dictitant iter brevi tum Romam, tum Vindobonam suscepturum, ad ul-teriora conventa cum Adriacis duabus nationibus ferienda.

**

De pactionibus quidem iam exsisten-tibus aliquid innotuit **ex documentorum libro Austrorum delegationi exhibito** a Berchtold comite, Imperii administro primo, ut orationem illustraret, quam de balkanicis recentibus eventibus apud coetum illum habuit. Hinc evidenter concludere licuit, triplicis, quod vocatur, foederis conamina ad Europæ pa-cem minime turbandom irrita haud ces-sisse, diffidentesque, si quae fuerint, nationes posse tuto suspicione suas de-ponere.

**

Dum vero hinc animi firmantur, inde belli furor manat. **Digladiantur enim in septentrionali America** Civitates Foedera-tae cum Mexicana republica, iamdiu in-ternis discordiis vexata. Conflictus causa cognita satis omnibus est, ut hic re-vocetur; unum id hodie adnotare iuvat, hostilia bono auspicio esse interrupta ob acceptam laudabiliter ab utraque parte mediationem a maximis meridio-nalis Americae civitatibus oblatam, quae — (salvis semper Monroeiana doctrinae iuribus) — haud longe abesse vi-dentur quominus Europaearum gentium aliquam ad optimum incoepit perficiendum sibi quoque adsciscant. Quod felix, bonum faustumque siet.

POPLICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Titulus argumenta facile indicit, quae in hac pagina tractabuntur; laetitia quidem, unde requies aliqua, vel potius diverticulum a diuturnis artibus suis, nostris sociis praebeat. Lamque igitur meam ego partem loquar; in primis vero singulos vos, amicorum optimos, - (quam brevi hodie comparantur amici!) - interrogabo utrum libelli istius vobis oblati contenta, alte vobis in pectus descendere. - Pulcre! Bene! Recte! - velim omnes conclamaverint, sed... Hunc video gravi supereilio, neque - ut iudicem severissimum decet - perspicilla lente per sudariolum fricando purgare omitterem, ...nudem in scirpo quaerere. Ille argumentorum copiam reprehendit; alius inopiam. Alter fortitudinem, imo audaciam, temeritatem, quibus opus aggressi sumus, verbis auget; alter insaniisse nos ait. Quid de iis dicam, qui in stylum animadverterunt? - O fusum sermonis genus! O narrandi sublimitas! O subtilitas orationis! O... quae corrupti generis dictio! - Et si quis habeat, plura addat. Tot capita tot sententias esse, per antiquum monet adagium; quid vero huiusmodi sententias, quae ad nos attinent, cum suis rationibus scriptas non collegerimus? Quid consilia, adhortationes non simus provocaturi, ita ut, plurimum numero nos accedentes, opus nostrum perficere in dies possimus? Nonne labor unus nobis ut, ad latitatem vendam provehendamque, Almae Romae vocem quam latissime diffundamus? Neque id consequi licebit, nisi quae commentarium fecerimus quam plurimis acceptabilem. Sint igitur hic

Quaesita ad referendum:

I. Placetne tibi commentarius noster?
Quae menda in eo invenisti?

II. Quaenam capita sive argumenta mavis? Quae addenda? Quae expungenda?

III. Quum de rebus sit agendum quae hodiernae vitae usum respiciant recensque inventa, opportunius ne tibi videtur vocum et phrasium distinctas series confici; an ea per descriptiones et colloquia offerri?

Praeterea:

IV. Quasnam rationes ad commentarium prolatum suggeras?

V. Quos viros habes a te satis cognitos, quibus non sine aliqua probabilitate successus «Alma Roma» speciminis gratia tradi possit?

Responsiones nunc a Sociis exspecto; a Sociis, inquam, scilicet ab humanissimis iis, qui, nisi antea, saltem una simul cum huiusmodi litteris subnotationis sua et nomen et pretium dedant, altera vel altera ex iis formis, quas superius indicavimus; aut alia quavis, quam optimam reputaverint.

At ultra properamus.

Coquinaria.

Quia non mentis solum, sed et ipsius corporis cibum vobis comparare non recuso, pastillos exquisite instruendi rationem hodie vos docebo; non eos quidem odoratorios, quos meminit Horatius, sed ex subacta farina esculentos, qui ab Italia nostra profecti, apud sermones exterarum fere omnium gentium incorruptum nomen retinuerunt, iamque ab illis saec. XVI humanistis in ipsam latitudinem (o scitamentorum portenta!) machaeroniorum voce invecti sunt.

Immitte eos igitur in aquam, quam salitam facies quando deferveat; retrahas non nimis excoctos, perforata tunicula excoleas, incoctilique tradas, ubi succulenta comparaveris modo qui sequitur:

Incoctilis eiusdem fundum omnem occupaveris subtilibus carnis fumo du ratae, aut lardi, quadris; insuper caepas, carotas, apii costas aut amaricum praetriveris, quibus novam ex carne assuum straturam cum butyro, sale, pipere, garyophillo imposueris; denique foco credideris. Cave tamen incoctile unquam detexeris, prius quam cremantis caepae odorem perceperis. Tum carnem revolveris; quum vero ita ipsa tosta fuerit, ut nigro fere colore facta sit, aquam parva trulla infuseris; quod ter eris operatus, vaporante aqua.

Totidem postea in incoctile boni iuris immiseris, quod satis fuerit ad levem per aliquot horas ebullitionem conservandam, unde vis omnis ex huiusmodi praeparatione manaret; qua, ad incerniculum acta, machaeronios valde imbuies, descobinato caseo addito.

Post haec, bene vos!

Iocosa.

De capitib poena disputatur.

— Sed tamen de istius poena efficacia nullum adhuc habuimus certum testimonium.

— Quid? Indica mihi reum unum, qui securi percussus in recidivam incidet!

Aenigmata.

I.

Verbum illud latinum enuncia mihi, quod, dempta littera prima, dat belluam; dempta altera, aliud verbum patefacit; tertia littera subtracta, sororum quinque quartam indicat.

II.

Si legis a laeva, nomen praebebitur urbis;
Si a dextra, accipies quod mea corda fovent.

IOSFOR.

ROMA SACRA⁽¹⁾

Acta Pii X P. M.

Per «Motu Proprio» d. XVI mens. Ianuarii MCMXIV Sacrorum Rituum Congnis. Consultores in duas classes seu sectiones divisi sunt, alii ad suffragium ferendum in causis beatificationis et canonizationis, alii pro rebus ad liturgiam et reliquias Sanctorum quoquo modo pertinentibus; omnesque igitur et singulæ Commissiones, quae Congni. Sacr. Rituum hucusque adiectae fuere, suppressæ omnino sunt.

— Motu-proprio die XIX mensis Martii MCMXIV sacerdotum collegium Italis pregre adiuvandis Romae constitutum est.

(1) Romae sacrae suum locum in commentario nostro dare constituimus in commodum praecipue Sacerdotum societatis nostraræ participum, qui Summi Pontificis Romanarumque Congregationum acta per summa capita et quasi sententiarum congerie resumpta quum inveniant,

S. Congregatio Concilii.

De Missa pro populo et servitio chorali.

Quando festum aliquod «Motu proprio» d. 2 Iulii 1911 suppressum incidat in diem Dominicam, aut impeditam festo maioris ritus, curam animarum gerentes non tenentur applicare missam pro populo, die in quam idem festum transfertur. Quando autem festum aliquod transfertur, quoad officium et missam tamquam in sedem propriam, in aliam diem, in ecclesiis in quibus servitum chorale alternis hebdomadis praestatur, obligatio chori communis, et distributiones, si quae pro eo festo sint,

facilius quoque persecui valebunt. Quo autem integræ currentis anni ipsorum actorum seriem in promptu haberent, ab Actis Apostolicæ Sedi mens. Ianuarii eorum recensio nem inchoavimus.

pariter non transferuntur in eamdem diem, nisi, quoad distributiones, obstet expressa fundatorum voluntas, statutum particularare, aut legitima consuetudo. (Ex decr. diei XV mensis Decembris MCMXIII).

S. Congregatio Consistorialis.

De electione Vicarii Generalis dioecesum Americae Septentrionalis in Consultorem Dioecesanum.

Prohiberi non potest, generatim saltem loquendo, quominus Vicarii Generales istarum dioecesum sint de numero Consultorum. Est tamen casus in quo neque aequum neque opportunum est ut id obtineant, quoties scilicet Consultores iuxta usum vel alia de causa paucissimi sint: eo enim in casu aliis sacerdos non de gremio Consultorum est assumendus in Vicarium, vel numerus Consultorum congrue augendus. (Ex decr. diei XXVII mensis Februarii MCMXIV).

De Sacerdotibus in certas quasdam regiones demigrantibus.

Per decretum d. XXV mens. Martii MCMXIV, confirmatis praescriptionibus a S. Congregatione Concilii aliquot ante annos editis, novae additae sunt regulae circa Sacerdotes in exteris regiones demigrantibus, eaeque duobus capitibus contentae, altero de Sacerdotibus in perpetuum aut ad diuturnum tempus migrantibus; altero de Sacerdotibus qui ad breve tempus proficiuntur.

S. Congregatio Indicis.

Per decretum d. XXVI mens. Ianuarii MCMXIV proscripta atque in indicem librorum prohibitorum relata sunt Mauriti Maeterlinck opera omnia.

Carolus Holzhey, Aloisius Renzetti, Sebastianus Merkle, Stephanus Coubé decretis eiusdem S. Congregationis, quibus quidam eorum libri prohibiti et in indicem librorum prohibitorum inserti fuerant, se subiecerunt.

S. Congregatio de Religiosis.

De novis Sodalitatibus earumque constitutionibus adprobandis.

Per decretum d. XXIV mens. Martii MCMXIV specialis Consultorum Commissio, praeside Cardinali S. Congregationis de Re-

ligiosis Praefecto, auctoritate apostolica constituta est, eidemque omnia delata, quae ad novi cuiuslibet Instituti votorum simplicium, eiusdemque Constitutionum examen et approbationem attinent, nisi speciali ex causa, vel exortis inter Commissionis Consultores gravibus opinionum disrepantiis, Cardinalis Praefectus opportunius indicaverit ad Emorum. Patrum coetum rem deferre. Normae autem peculiares servandae in recensione et adprobatione novi Instituti eiusdemque constitutionum eadem die prescriptae sunt.

S. Congregatio Rituum.

De Baptismo domi collato.

Baptismus de licentia Episcopi seu Ordinarii domi collatus, extra mortis periculum et urgentem necessitatem, cum omnibus caeremoniis Ritualis Romani administrandus est. (Ex decr. diei XVII mensis Ianuarii MCMXIV).

De Festo dedicationis ecclesiae.

Festum anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum alicuius dioecesos ita est intelligendum, ut, ob enunciatum festum, singulae ecclesiae suam propriam dedicationem celebrent; nempe ut in singulis ecclesiis consecratis agatur festum Dedicationis propriae ecclesiae.

Reviviscent Octavae de iure vel ex privilegio concessae Festis a die XIX ad diem XXIII mens. Decembris occurrentibus, quum ipsae deinceps a festo Nativitatis D. N. I. C. haud amplius impediantur.

(Ex decr. diei XII mensis Februarii MCMXIV).

De festo B. Mariae Virginis, Magnae Hungarorum Dominae.

Festum B. M. V., Magnae Hungarorum Dominae, hueusque assignatum Dominicæ II Octobris, ad normam recentium rubricarum et decretorum, et ad maiorem uniformitatem curandam, amodo die 8 eiusdem mens. Octobris sub ritu duplice secundae classis in universa Hungaria recolit statutum ac declaratum est per decr. d. 27 Februarii 1914.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

VITUS

(1)

Vitus admodum puer inscio patre baptizatus est: quod quum ille rescivisset, nihil praetermisit, quo filium a christiana religione removeret.

(Offic. diei xv m. Iunii).

Iam non prisca novas hilarat concordia gentes;
Ingens discidium concentum dividit omnem:
Cunctos unus habet focius, non omnibus una
Mens est: non omnes eadem venerantur amantque.
Quid valet in natos patrum veneranda potestas?
Cum genitore pio natus non degit amice:
Nam nova per populos virtus subrepere coepit,
Et toto nova progenies enascitur orbe.
Iam fuit in Siculis olim puer integer oris,
Magnis a proavis ortus facieque decorus:
Iam documenta suo dederat pia mater alumno,
Divinumque simul dictis afflārat amorem.
Nunc natus matrem spoliatam lumine luget:
At sanctum dicit puerum Crescentia nutrix,
Fingit et ad rectum suppressa voce Modestus.
Heu! genitor veteresque Deos ritusque colebat,
Et spem filiolo magnam ponebat in uno.
Incassum! Puer in tenebris latet abditus atris:
Prorsus devitat socios, spectacula, pompas.
Iam non tempa colit, non atria ture vaporat;
Non in imaginibus vultum suspendere vanis
Audet, nec pictis iam floribus induit aras.
Tandem delator quidam genitoris in aurem:
— Nonne vides? — muttit. — Non curat Numina Vitus.
Externos sequitur, puto, ritus. Credere nolim.... —
His pater incensus dictis exarsit in iram:
Ecce vocat natum; premit imo corde dolorem:
Atria longa patent; praebet nemus aedibus umbras,
Pallent expressi cera longo ordine vultus.
In locuplete domo, rigido simulacra Deorum
Assurgunt gestu: sacris micat ignibus ara.
Vitus adest, oculosque pudens demittit et haeret,
Dum maesti circum stant corde micante propinquui.

— Poematum hoc a clarissimo socio nostro FRANCISCO SOFIA-ALESSIO Radicensi conscriptum nobisque ultro edendum traditum, (de quo amplissimas gratias et habemus et referimus), Amstelodami in certamine poetico Hoeufftiano an. MCMXIV magna laude ornatum est. Liceat nobis, ob meritum hoc novum eius decus, auctori gratulari (A. R.).

Altius in cathedra genitor consedit, et infit:
 — Adsis, o vitae spes, o mea sola voluptas;
 Te plus, Vite, meis oculis iam semper amavi,
 Frontem iam diduc: sapiens docilisque videris
 Esse puer; sed et est, quod iure reprendere possim.
 Sancto connubio peperit te mater, et idem
 Factus sum pater et dominus: vitaque necisque
 Est sane mihi ius, et te parere necesse est.
 Vite, quid est quod tu puerilia gaudia damnes?
 Quid fugis aequales et maeres usque? quid intus
 Sic servas, vitamque sinis tabescere luctu?
 Num desiderio matris miser usque laboras? —
 Adrisit puer, et suavi sic ore locutus:
 — [Tune, pater, quereris quod solus semper oberrem?
 Improbulos fugio prudens turpesque susurros:
 Tu vero, memini bene, me sic ante docebas.
 Non odi socios, genitor, quum solus oberro,
 Humanum genus omne pio complector amore.
 Nonne satis recti spondent tibi denique mores? —
 Leniter hic genitor: — Mores reprehendere nolo;
 Nempe velim ludas aliquid luctusque relinquas:
 Exercere iuvet puerilia membra palaestra,
 Et iactare pilam leviterque remittere follem.
 Odisti lucem, bubo, teris otia tristis. —
 — Falso! non odi lucem, sed nitor ad astra:
 Saepe quidem vigilans fulgentia sidera mundi
 Contemplor, caeloque fruor sub nocte silenti.
 Saepe quidem tacita, fateor, pater optime, mente
 Accipio lucem, quae vincit lumina solis. —
 — Quae tam clara tuis modo lux affulsit ocellis? —
 — Est lux vera, pater, caelo demittitur alto:
 Emicat; at magnum nunc mens mea concipit ignem. —
 — Iste quis est ignis? — Meus est suavissimus ignis. —
 — Quid garris mihi? Sacra, puer, tu neglegis usque:
 Iam non tempora colis, nec florem ponis in ara.
 IMPRIMIS, inquit sapiens, COLE NUMINA RITE:
 Di tibi divitias, speciem nomenque dedere;
 Nonne decet dignas Superis persolvere grates?
 Numina si quid amas, pius atria ture vapora. —
 Tum Vitus: — Quid opus sacris et ture? — reponit;
 Est Deus in nobis: Deus est in pectore puro:
 Sunt sua tempora Deo castis in mentibus: aram
 Dat mihi pectus, ubi fax ardet semper amoris:
 Rite preces, pro ture, pio nos fundimus ore. —

(Ad proximum numerum).

MONITUM

Proximus Almae Romae fasciculus Idibus Iuniis MCMXIV, ad regulam, probabit, in eoque scripta edentur FR. XAV. REUSS, REGINALDI FEI, ALEXANDRI AURELJ, etc., quae, spatio deficiente, opportunum hodie locum non invenerunt.

Interim ii omnes, in quorum manus speciminis gratia libellus hic pervenit, cogitent quanta sit rei nostrae vis in utramque partem, velint ipsi favere, neve subnotationem suam ad nos mittere remorentur.

Velint pariter, pro sua humanitate, in Almae Romae circulum et Patronos et Socios alios attrahere, sive suis verbis usi, sive nostras paginas legendas amicis tradentes. Quod si forte eorum quisquam Roman adventurus sit, faciat nos certiores, quibus gratissimum erit eum invisere, et, quibus valere possimus, in mansione sua adiuvare.

Si quis denique societatem nostram quavis de causa sit recusaturus, fasciculum hunc, quaesumus, ad nos per tabellarium, a quo accepit, remittendum curet.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, eques,
Almae Romae comm. Moderator.

ROMAE, Via del Governo Vecchio, 96.

NUMISMATUM COLLECTORIBUS

IOANNIS B. FRANCESIA

ACTIONES DRAMATICAE

latinis versibus conscriptae

SATURIO ☙ ☙ ☙

EUPLIUS ☙ ☙

AD ROMAM ☙ ☙

Apud Almae Romae commentarium

ROMAE**Via del Governo Vecchio, n. 96,**

veneunt singillatim libel. 1,00.

Apud Commentarii Almae Romae
 Moderatorem numismata plura ex iis,
 quae gesta Romanorum Pontificum re-
 ferunt et quotannis in festo Apostolorum
 Petri et Pauli cudi solent, venalia pro-
 stant. Sunt inter haec numismatum
*aeneorum Leonis XIII et Pii X inte-
 gra collectio; collectio pariter integra
 argenteorum numismatum Pii X; et
 Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI
 Pontificatus eius inclusive.*
 Si quis aliquod vel omnia habere
 cupiat, rogationem simul et oblationem
 suam scriptis mittat ad **Doctorem Iosephum Fornari, Almae Romae Com-
 mentarii Moderatorem, Romam (Via
 del Governo Vecchio, 96).**

Libraria Pontificia FRIDERICI PUSTET

ROMAE - PIAZZA S. LUIGI DE' FRANCESI, 33 - ROMAE

Bibliotheca Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum
Theologiae et christianarum Litterarum cultoribus accommodata. - Collectio optimorum operum SS. Patrum tum Graecorum, tum Latinorum cum commentariis amplisque praefationibus. Singula volumina ad pag. 250 concinna impressa ven. lib. 3.

VOLUMINA EDITA.

SERIES I.

- Vol. I. — Didaché, seu Doctrina XII Apostolorum - Epistola I Clementis ad Corinthios.
- » II. — Ignatii et Polycarpi, Epistolae.
- » III. — Barnabae, Epistolae - Epistola ad Diognetum - Clementis Romani, Epistola II ad Corinthios.
- » IV. — Clementis Romani, Epistolae de Virginitate - Hermae, Pastor (Visiones, Mandata).
- » V. — Hermae, Pastor (Similitudines) - Papiae, Fragmenta.

SERIES II.

- » III. — Irenaei, Adversus haereses (Pars I et II - Volumina duo).

SERIES III.

- » I. — M. Minucii Felicis, Octavius - Q. Sept. Flor. Tertulliani, Apologeticus.
- » II. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, De praescriptione haereticorum - De testimonio animae - De baptismo - De poenitentia - De oratione - De pudicitia.
- » III. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (Lib. I et III).
- » IV. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (IV).
- » V. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (Lib. V). Adversus Valentianos.

SERIES V.

- » I. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. I et IV).
- » II. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. V et VIII).
- » III. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. IX et X).
- » IV. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. XI et XII). De Synodis seu De Fide Orientalium.
- » V. — Ambrosii Mediolanensis, De Fide ad Gratianum Augustum (Lib. I et III).
- » VI. — Ambrosii Mediolanensis, De Fide ad Gratianum Augustum (Lib. IV et V). De Spiritu Sancto ad Gratianum Augustum.

SERIES VI.

- » I — Aurelii Augustini, Confessiones (Pars I et II - Volumina duo).

SERIES VII.

- » I. — Sancti Gregorii M., Epistolae Selectae (Pars I et II - Volumina duo).

Libraria Pontificia Friderici Pustet, morem gerens pluribus viris auctoritate gravibus, suam fecit periodicam hanc collectionem ex Societatis Editricis dissolutione aliquot abhinc annis intermissam. Iamque singulare doctorum virorum collegium constituit, ut proximo scholarum anno ineunte publicatio resumi possit, eaque usque ad finem, nulla interposita mora, perducatur. In primo volumine opus S. Irenaei *Adversus Haereses* absolvetur, curante insigni doctore Mannucci. Deinceps antecessio fiet operibus nondum editis aut incompte vulgatis ex Patrologia clarissimi Migne.

Diversorium magnum cui a Minerva nomen

(Grand Hôtel de la Minerve)

— ROMAE —

Piazza della Minerva

~ Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum. ~ ~ ~

— Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda. —

AUGUSTUS DELLA CASA, moderator.

Sculpturae et Aeneorum Museum

G. Balducci & A. Giacomini

ROMAE
via Sistina, N. 2

STATUAE HIC MULTIPLICES
TUM SACRAE CUM PROFANAE
VASA - COLUMNAE - MONUMENTA

Templa, Viridaria, etc., vel ex integro decorantur.

— Prospectus gratuito fiunt —

Artificum optimi opera sua commendant huic museo, cui studia propria sunt ad lapicidinas.

“Credito Centrale del Lazio”

Societas anonyma ex soluta summa libell. 500.000
ad decies centena millia libell. efferenda
oeconomicis Catholicorum Institutis Romae, in Latio eiusque conterminis
provinciis promovendis, dirigendis, adiuvandis, amplificandis.

Pecuniae sibi ad quotidianam computationem concreditae fenus rependit ad 2.50 % et 3 %. — Huiusmodi commercii rationes vel per litteras instituit.

Parsimoniae libellos emittit, sive inscripto possessoris nomine, sive cuique latori liberos, cum fructu 3.50 %; et 4 % si de parva summa agatur.

Emittit pariter libellos vinculo adstrictos, neque non fructiferas syngraphas; quarum tamen de quaestu convenientum est.

Exteriorum nummos atque nummarias tesseras emit venditque.

Pecuniam per obligationis chirographa concedit, aliorumque nomine obligationis chirographa exigit.

Aes alienum, acceptis commercii tutis rationibus, solvit.

Operationes omnes, quae arciae rei sunt, pro committentibus gerit; locaria repetit; vectigalia solvenda curat, etc.

Sedes princeps ROMAE, via dei Cestari, 21

Subsidiaria ALATRIAE

STATuae SACRAE ex
solidato charta ab **ALOISIO
GUACCI**, equite Lycensi,
insculptae, unicae in Italia
sunt, quae verae pulcritudinis
sensu conficiantur, diutissime
meque persistent. Earum arti-
fex Guacci, unus Lyciensis in
civitate, diploma apud Regiam
ingenuarum artium Academiam
obtinuit, equestrique
honore de Laboris merito
per R. Decretum d. 30 Maii
1913 insignitus est ob sapien-
tem structuram perfectamque
institutionem ab eo tributa
praestanti huiusmodi statua-
rum industriae, Lycensis ur-
bis propriae et singulari.

Statuarum indicem figuris
ornatum qui ALOISIUM GUACCI
(LECCE - ITALIA) poscat, gra-
tuito habebit.

T. G. Fratrum Parisi
Pontificia Officina Candelarum ad Sacra
ROMAE, in foro Campi Martii, 6

Mercem suam suppeditat Sacris Ae-
dibus Apostolicis, privato Summi Pon-
tificias PII PP. X sacello, patriarchali
archibasilicae Lateranensi, basilicae Li-
berianae, etc.

Candelae cuiusvis dimensionis per
orbem universum exportantur, merxque
nullo iubentis impedio traditur in quo-
libet portu.

Fidem damus in candelis liturgicis
ad S. Missae sacrificium tot cereae par-
tes esse, quot ex decreto S. Rituum Con-
gregationis Plurium dioecesum pre-
scribitur.

Indices *gratuito* cuique requirenti
mittuntur.

"Au Pelerin Catholique,, Maxima rerum ad religionem Emporia

praeemiis amplissimis honestata

A. Giacomini & R. Corinaldesi

Summi Pontificis Provisorum

ROMAE - Piazza S. Pietro, 1, 2, 3, 4, 5 - ROMAE

Sacrorum numismatum officina in Urbe unica

Instruuntur pariter ac venumdantur coro-
nae precatoriae, Christi Crucifixi effigies ex
auro, argento aliisque metallis, S. Petri sta-
tuæ, etc.

Munus gratuito geritur rescripta impe-
trandi Indulgentiarum in « Mortis articulo »
super diplomatis atque imaginibus ad hoc
typis impressis, vel photographice expressis.

Rerum index ditissimus figuris ornatus
exirenti cuique dono mittitur.

H. DESSAIN - MALINES

Editor Pontificius et S. Rituum Congregationis

■ novissime vulgavit ■

Breviaria - Missalia - Diurna - Ritualia

Bullæ « Divino Afflatu » ultimisque
Pontificiis constitutionibus apprime con-
formia.

Praeterea: **Psalterium** (mens. 48, 18,
8, 4) — **Cantus libros** iuxta typicam Va-
ticanam editionem; atque etiam **Opera**
de **Liturgia Pontificali** ac de **Liturgia ad**
usum Ordinum Religiosorum.

*Catalogus-specimen repetatur a gestore
et depositario per Italianam omnem unico*

Francisco Ferrari

Librario Editore

ROMAE - Piazza Capranica, 102 - ROMAE

Vir colendissime,

Fasciculum Almae Romae ad te mitto, ut pro tua humanitate perlegere, iisque ex amicis, quorum res interesse possit, perlegendum tradere velis.

Huius namque latine edendi commentarii mens fuit, ut, quo tempore latinus sermo videtur, pestifero quasi sidere afflatus, pauperiem pati, hominum ingenia ad eius cognitionem et usum impensius excoolerentur. Nonne enim ex latinitate in orbem universum doctrinae atque humanitatis amplissimus cultus defluxit, et apud Christi Ecclesiam eloquium latinum tamquam universale vinculum viguit semper vigetque adhuc? Quandoquidem autem plures nostris diebus existiment doctrinae atque humanitatis patrimonio inter homines optime fore consultum, si sermo doctis assignetur unicus, quo ipsi communiter utentes possint ubique gentium a doctis intelligi, quumque hac de re alii alia sentiant, plurimum conferre nobis visi sumus ad litem dirimendam, si latinum proponeremus sermonem, idque non hortatoriis verbis, sed actu ipso atque exemplo; scilicet non de una aut altera disciplina agendo, verum de re universa tractantes in proprio commentario, ubi latina lingua amplissima semper, dives, mobilis, praestans vel ad ea quae de hodierno vite usu recentibus inventis sunt, miraque appareat.

Quae quidem consilia nobis feliciter contigit a Summo ipso Pontifice in primis ac latissime comprobari; qui « benevoli gratique animi » sui testem litteras sua manu scriptas nobis ultro tradere dignatus est, quas inferius hic honori ducimus referre. Supremi ita Patris favore et benedictione firmati, eo alacriore animo manus operi admovimus; quod periculose plenum esse aleae non infitiamur, et multorum assensu indigere. Haud temere igitur confidimus fore ut et

nomen tuum, vir perillustris, et amicorum tuorum Almae Romae commentario adiicias, pretiumque annuae subnotationis, quod est in Italia libell. 9, ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; mark. 10; rubl. 4½; sh. 12; coron. 12) quamprimum ad me mittendum cures. Si secus fuerit, fasciculum hunc, quaeso, per tabellarium a quo acceperisti mihi reddas. Vale.

JOSEPHUS FORNARI, eques

*Litterarum Iurisque Doctor,
Almae Romae commentarii Moderator.
(Romae — Via del Governo Vecchio, 96).*



*Socii et Lectores
Commentarii nostri humanissimi.*

Fasciculum alterum Almae Romae commentarii, facere non possum quia granum mei saeculi exponere ab labore qualesdam noscere tam benigne exceptio a nobis, qui finem nostri operis apprimo intellectis, non quide Superbum optimo consilio propositum Ego, meritis Latina lingua tuis edendae magnopere commendantes, electis scriptoribus etenique ad eam evulgandam provehendamque open et subtiliter quoque modo conferentibus, benevolo gratique animi septem, auctoritate Beneditus, num amantissime in domino ingentissimus.

*Ex Aedibus Vaticanis
die 24 Januarii 1914.*

Siue Ad. X